



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XLIV. Parænesis ad studiosos, ut in studio bene inchoato perseverent, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Pf. 136. v. 9.

*Respondet
fructibus
arbor, cau-
sa effectus.*

quam in animo exortam senserint, eam coerceant: dum enim passiones nostræ parvulæ sunt, facile expugnantur; quo autem diutius convaluerint, ægrius, nec nisi summo adhibito studio: ut etiam si in ortu eas compresserint, non tamen otientur; sed assiduè renascentes earum ramos refecent, & loco pravarum affectionum in animo plantent bonas: ut denique sicut dæmon, quo hominē citius præcipitem agat in flagitii voraginē, ejusque propensiones & affectus explorat; ita ipsi in examine cōscientiæ quotidiano studiosè expendant, ad quas animi perturbationes à natura sint propēsi, & quibus cogitationibus mentes eorum sæpius agitentur. Si enim ferantur cogitationes ad honores mūdi, non dubium est in eorum cordium spirare Boream superbiæ, si ad delicias & voluptates, Austrū concupiscentiæ; si ad vindictam iracūdiæ, Typhonem. Quamprimum ergo per examen pravam aliquā inclinationē ejusmodi in se deprehenderit, ad eam domandam & expugnandam se accingant.

*XIV. PARÆNESIS AD STUDIOSES
ut in studio bene inchoato perseverent, & futu-
ram æstatem sibi quàm utilissimam fa-
ciant.*

EXORDIUM à persona Auditorum, quod bene ac diligenter studia exorsi sint, ac sua diligentia cum bonos omnes, tum præceptores ac parentes non mediocriter exhilararint.

PROPOSITIO: Proinde te statuisse eos adhortari, tum ut feruorem litterarum, quo hac studiorū renovatione procul dubio inardescunt, foveant, & in cœpto studiorum cursu persistant ac perseverent; tum ut per hanc æstatē plurimum addiscant.

CONFIRMATIONIS PRIORIS PARTIS I. Locus ab honesto: Honestissimum esse perseverare in bono opere: si enim honestum bonum agere, sane mul-

multo honestius erit id continuare, juxta prover-
bium: *ὅτι καὶ αἰεὶ τὸ καλὸν, & κέρδιον* (satietas) *ἰδέσθαι τὸ καλὸν*. Perseverare in bono opere usque adeo ho-
nestum est ut ab ipso demum omnia bona opera
honestas dicantur: nemo tam est malus, qui non
aliquando quid boni agat; inde tamen boni &
honesti nomen mereri non potest:

II. *ab effectis perseverantia*, quod per hanc voti fia-
mus compotes. *Quod exemplis rerum tum animata-
rum tum inanimatarum confirmabis*. Homines enim
& bruta ad justam ætatem non perveniunt, si sta-
tim à vitæ exordio esse desinunt: Arcum tyrones
nulli evadunt artifices, qui rei discendæ molesti-
am constantia non contemnunt.

III. *à necessitate*: quia sine ea nemo sibi eruditio-
nem polliceri poterit. Quemadmodum enim non
una hirundo facit ver; ita nec una dies eruditio-
nem parit.

IV. *ab exemplo Aristotelis*, qui quia 20. integros an-
nos in una hæsit schola, sub uno præceptore Plato-
ne, princeps omnium Philosophorum evasit.

V. *à jucunditate studiorum*, quæ tanta est, ut multi
eorum dulcedine capti, nec valetudinis, nec cor-
poris rationem habeant; *quod docebis Exemplis; ut*
Euclides Megarensis, qui muliebri veste indutus, &
pallio versicolore amictus, ut Socratem audiret,
Athenas sub ipsam noctem cum capitis periculo
& vitæ discrimine intrabat: eò enim proficisci,
Megarensibus capitale erat: *Archimedis* qui dum
in pulvere quædam describeret attentius, ne pa-
triam quidem captam esse sensit: *S. Hieronymi*, qui
nocturnis horis linguam Hebræam didicit, cum
veteri lege Judæorum nemo Christianus in ea
erudiri posset.

Vide Orat.
Mureti, &
Majorag.

CONFIRMATIONIS II. PARTIS. LOCUS *ab*
honesto: Quod adolescens cum omni tempore,
tum opportuno diligentissime se exercere debeat

Part I.

L

esse

esse enim aliquam prudentiæ speciem, occasionem oblatam statim arripere, quia *Fronte capillata, post est occasio calva.* Et quòd, cum æstivo tempore omnia sint formosissima, deceat, ut & nos omni scientiæ genere nos exornemus, & ut, cum intuemur agros ubiq; cultos, ingenium quoque nostrum excolamus; & cum omnia vigeant, nostra quoque vigeant ingenia, ne nos soli inter formosissima deformes, inter cultissima inculti, inter vigentia & efflorentia torpere videamur.

II. *ab utili*, quod hinc plurima possint sperare comoda, quibus eruditio suos possessores exornare solet, *quod amplificabis Exemplis eorum* quos eruditio celebres reddidit & ad honores atque divitias evehit.

III. *à facili & tuto*, quod sine minoribus sumptibus & sine minori turba in quam nos hyeme cogunt hypocaufta, & sine periculo *ὀφθαλμικῆς*, litteris operam navare possumus.

IV. *à jucundo*, quod id jam cum voluptate fieri possit vel deambulando, vel confidendo locis amœnis.

Hesiod. & x V. *ab Exemplis* opificum, agricolarum, & brutorum animantium, æstivo tempore strenuè laborantium.

CONFUTATIO *vituperabit eos*, qui falsis rationibus persuasi, litteras contempnunt, iisque multam salutem dicunt: porissimum iis, qui se ob perfectam ætatem inter natu minores sine infamia & dedecore versari non posse existimant, *propones* versus Solonis, gloriantis se quotidie aliquid addiscentem fieri senem; & exemplum Catonis, qui senex litteras Græcas avide arripuit, &c.

In EPILOGO *hortaberis studiosos*, ut pergant diligenter in litterarum studia incumbere, ut & sibi honori, & amicis utilitati, & Christianæ Reip. emolumento esse possint.